



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Imago saeculi XVII. ad annum huius saeculi X. producta

Neuhusii Paderbornae, 1710

Annus 1684.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29436

tributus titulas Ducis Andegavensium.

Renovata hoc anno Londini conjuratio
adversus Regem à senis Magnatibus, quos
impii facinoris executores sibi substituerat
Schaftburius, in omnem occasionem tol-
lendi Caroli & Jacobi fratris vigili cura in-
tentis; sed quod minùs succumberent me-
ditato sceleri incauti fratres, affecit unus
conspiratorum, qui conceptæ proditionis
pœnitentia ductus, rem totam aperuit Regi,
cujus jussu partim intercepti & multati, par-
tim fuga supplicium declinaverunt.

ANNO 1684.

Respublica Veneta incitatore potissimo
tamen sacri negotii Pontifice optimo ma-
ximo Innocentio XI. bellum indicit Turcis,
qui titulo solius ambitionis illam olim tot
ditionib' exuerant. Praefectus belli gerendi
supremus dictus Dux Franciscus Morosin⁹,
cujus peritiæ & felicitatis bellicæ primus
partus fuit Insula à S. Maura, quam mense
Augusto obsidione dierum 17 Barbaris eri-
puit. Secuta est mense Septembri expugna-
tio Praveiæ, & terror insularum in mari Æ-
geo, quarum aliquas raptu captivorum, omi-
nes emunctis tributis afflixit.
Cæsariani sub variis Ducibus rem forti-
ter agere pergunto contra Barbaros. Sub

Sub Duce Lotharingiae Vicegradium &
Vacciam expugnans, Præfectum Budensem
inito certamine fundunt, fugantque occisis
quatuor infidelium milibus, raptaque præ-
da omni, tum signorum, tum rei tormenta-
lia, quam secum vchebant, repetitis item
cladibus atterunt Seraskirium, qui iteratis
vicibus suppetias inferre conatus obsessi
Budensibus. Irrito tamen conatu molun-
tur obsidionem Budensem, quam i Nov.
post jacturam multorum millium, quos
partim ferrum, partim morbus sustulit, sol-
vere coguntur.

Sub Duce Leslæo Verovitizam in confi-
nibus Sclavoniarum occupant, & ultra pagos
ducentes cum nonnullis bene munitis ca-
stris & arcibus ad Cæsaris fidem retrahunt.
Schulzius quaternis omnino præliis su-
perior cædit, funditque Teckelium cum au-
xiliaribus Turcis ac Tartaris, semelque ac
iterum castris & impedimentis ferè omni-
bus exuit.

Rebelles Hungari allecti spe veniarum &
impunitatis, quam eis proposuerat Leopol-
dus, magno numero ad primæ fidei Sacra-
menta redeunt.

In Anglia & Scotia solennibus comitiis
designatae

designatus successor Regis Caroli Frater Jacobus Dux Eboracensis.

Luxemburgum à Gallis expugnatur, & Treviris nudatur mœnibus, Secutæ subinde vicennales induciæ inter Cæsarem, Regem Hispaniæ, & Regem Galliæ, quorum pactis retineret Rex Ludovicus Argentoratum in Germania, Luxemburgum, Belmontium & Chymægium in Belgio, restitutis Hispano Contraco & Dixmudâ.

Graviter hoc anno sensit Gallorum iras Genua, cuius civitatis elegantissimæ pars major ab ignivomis globis, quorum intra dies 11. injecti in ædes, palatia, & templa, ab incendiaria classe decies & ter mille trecenti.

ANNVS 1685.

ROmæ decreto Congregationis, quam sancti Officii vocant, ad carceres tractus Michael Molinos sacerdos Hispanus, qui fictæ pietatis larvâ abusus, sub devotionis prætextu, multos incautæ conscientiæ propinata orationis, quam *Quietis* vocabat, methodo ad inanem perfectionis fastum seducebat. Eâdem poena alter delirantis Sectæ Coryphæus Mediolano paulò post Romanam evocatus à seducendo quiescere compulsus fuit.

In Hi-